

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXIII - N. 2

1991

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

DECEMBRI 1991

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis, Audientiae generalis occasione, die 2 octobris habita	135
Ex Allocutione Summi Pontificis ad Sodales Pontificii Consilii pro Familia, in ple- nario coetu coadunatos, coram admissos	136

ACTA CONSILII

Responsum ad propositum dubium	140
--	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio I)	141
II. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio II)	166
III. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio III)	211
IV. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio IV)	244
V. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio V)	273

<i>Nota:</i> De itinere laboris Coetus studii « De Normis Generalibus » (Liber I CIC)	300
---	-----

Opera a Consilii Bibliotheca recepta	302
--	-----

Notitiae	304
--------------------	-----

Index Rerum Generalis	305
---------------------------------	-----

V

COETUS STUDIORUM
« DE NORMIS GENERALIBUS »

Series Altera

Sessio V

(diebus 5-7 maii 1980 habita)

Coetus specialis constitutus ad animadversiones et suggestiones ab Episcopis et Universitatibus studiorum necnon Dicasteriis Romanae Curiae propositas, quae novos canones de Normis Generalibus respiciunt, perpendendas, sessiones quinta vice habuit diebus 5-7 maii 1980.

Partem in eo habuerunt Exc.mus D.nus Rosalius J. Castillo Lara, Commissionis Secretarius, qui praesidis munere functus est; Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, eiusdem Commissionis Secretarius Adiunctus, qui relatoris exercuit munus et Rev.mi tres pariterque Ill.mi duo Consultores Commissionis. In coetu adlecti quoque sunt Rev.mi PP. Olis Robleda et Xaverius Ochoa necnon Ill.mus D.nus Pius Fedele, qui et ipsi in praesenti Relatione Consultores nuncupabuntur.

Quibusdam adunationibus interfuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Commissionis Praeses.

Acta rededit Rev.mus D.nus Marianus De Nicolò, Commissionis Adiutor a studiis.

Exc.mus Commissionis Secretarius, ineunte sessione, omnibus salutationes dicit et gratias ex intimo corde iam ex nunc agit de laboribus peragendis.

* * *

Labor sessionis initium sumit a quibusdam quaestionibus, quae praeterita vice indicatae sunt, quarum prima est de silentio publicae administrationis.

Iam in sessione II, huius seriei, mense octobri 1979 habita, de hac quaestione aliqua gesta sunt; nam iam tunc Exc.mus Secretarius propositio nem praesentavit e Coetu « De processibus » (sectione de procedura administrativa) provenientem hic inserendam, quae haec habet:

« Quoties lex iubeat decretum ferri vel ab eo, cuius interest, petitio vel recursus ad decretum obtainendum proponatur, Superior quamprimum, salva iustitia et pastorali prudentia, providere curet ».

Exc.mus Secretarius proponit ut ponatur hic vel in cap. de decretis et pro secunda hypothesi propendit.

Rev.mus primus Consultor preferret ut hic insereretur, praecise quia Coetus « De processibus » voluit non tantum agi de decreto, sed de quo-cumque actu administrativo.

Etiam Rev.mo secundo Consultori placet ut hic inseratur, si verbum « quoties » servatur.

Rev.mus tertius Consultor preferret de hac norma hic sermonem insti-tui, sed profunde cognita quoad redactionem. Non placet ut dicatur « quamprimum », quia terminus nihil dicit et ansam praeverberet multis et fa-cilibus recursibus, neque minime placent verba « salva iustitia et pastorali prudentia » utpote generalia, quae totam normam enervant.

Observationibus Rev.mi tertii Consultoris adhaeret Ill.mus quartus Consultor, qui tenet principium valorem habere omnino generalem. Ill.mus quintus Consultor tenet quod bonum est principium introducere pro omni-bus actibus administrativis, sed quod melius est admittere silentium ex parte auctoritatis responsioni positivae aequivalere.

Iuxta sententiam Ill.mi sexti Consultoris, multum profert ut principium valoris silentii in parte generali ponatur sed supprimenda sunt omnino verba « salva iustitia ... prudentia ». Insuper tenet silentium quod per duos protrahitur menses aequivalere responsioni negativae. Rev.mus septimus Consultor animadvertisit in iure canonico non dari distinctionem claram inter administrationem et iurisprudentiam, tribunalia et officia administrati-va. Tribunalia praevalenter de matrimoniis agunt; quando de iustitia admi-nistrativa agitur, saepe officia agunt pro tribunalibus, ideoque respondere deberent et illa intra praeferendum tempus. Etiam Rev.mus octavus Consul-tor concordat cum sententia Rev.mi septimi Consultoris.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut textus in duas dividatur partes, in quibus agatur de obligatione intra determinatum tempus ferendi decretum, et deinde de iure ad recursum, et dicatur « Quoties lex iubeat ut actus administrativus [detur] intra duos menses utiles ponendus est, nisi alias terminus in lege praescribatur; itemque petitionem vel recursum ad actum administrativum obtinendum (legitime?) proponenti Superior intra duos menses a recepta petitione responsum dari curet; quo tempore transacto, responsum pro negativo habeatur ».

Rev.mus tertius Consultor petit quid sibi velit expressio « responsum dari curet », num de responsione iuridica vel de responsione receptionis vel de illa sic dicta « cortesia » agatur; in primo casu tempus duorum mensium in genere sufficiens non esse videtur, et proponit ut dicatur « provideat aut respondeat ». Rev.mus primus Consultor notat in nostro iure deesse

institutum temporis terminorum et silentii administrativi. Pro actibus Sanctae Sedis tempus duorum mensium est omnino insufficiens.

Ill.mus quintus Consultor tenet profundius inquirendam esse distinctionem inter actus administrativos simplices et complexos et institutum silentii influxum habere debere in omni momento procedurae administrativae, et non tantum in procedura iustitiae administrativae (cfr. Relationem originalem Sessionis IIae, pp. 15-16; *Communicationes* 23 [1991] 179-180).

Pro hac sessione Ill.mus quintus Consultor sequentem proponit textum uti basim disceptationis:

Canon 54 [propositio]

§ 1. Si petitio vel recursus iussu legis per decretum administrativum definienda sint, decretum intra tres menses a recepta petitione eliciendum est, nisi alias terminus a lege praescribatur.

§ 2. Hoc termino transacto, si nondum decretum administrativum datum fuerit, is cuius interest responsum negativum subintelligere potest, quoad propositionem ulterioris recursus administrativi vel iudicialis.

§ 3. Responsum administrativum praesumptum obligationem competentis auctoritatis decretum eliciendi, immo et reparandi damnum illatum, vi canonis 117, minime excludit.

Canon 54 bis [propositio]

Si ad actum iuridicum ponendum licentia competentis auctoritatis in legge requiratur, haec licentia intelligitur, si competens auctoritas intra tres menses a recepta petitione responsum non dederit.

Ill.mus Dominus in explicando textu can. 54, quem ipse paravit, animadvertisit silentium applicari debere tantummodo decretis administrativis singularibus et numquam gratiae concessionibus neque praeceptis quae dantur inceptu Superioris. In § 2 delendum est verbum « administrativum » quod numquam adhibitum est in Codice. In § 3, loco « administrativum », dicatur « negativum ».

Exc.mus Secretarius animadvertisit in canonibus de procedura administrativa canonem adesse de silentio, cuius textus est:

« Can. 5. Si post 60 dies a recepta petitione vel recursu Superior decretum nondum tulerit et petitor instet ut decisio detur, trigesimo die ex quo ... petitio vel recursus pro reiecto habetur, ita ut recursus ... proponi possit ... ».

Idem Exc.mus Dominus proponit ut canon iste in normas generales transferatur. In textu a Coetu « De procedura administrativa » parato includitur etiam denuntiatio morae quae non habetur, simplificationis causa, in textu Ill.mi quinti Consultoris.

Rev.mo septimo Consultori praeplacet structura canonis ab Ill.mo quinto Consultore proposita, quia magis simplex et perspicax, etsi in § 2 clarius dici debet silentium intelligendum quoad facultatem proponendi novi recursus, dum ad caetera indecisa remanent.

Exc.mus Secretarius proponit ut in § 2 dicatur « silentium responsum negativum censem ad recursum quod attinet ».

Pro Rev.mo octavo Consultore locus proprius istius canonis est in normis generalibus; non respicit modum agendi alicuius organi administrativi. Rev.mus primus Consultor anceps est utrum necessarium sit ut dicatur quod si superior non respondet via aperitur ad recursum.

Rev.mo tertio Consultori verbum « petitio » videtur nimis latum. Ill.mus quartus Consultor formulam praeferret ab Ill.mo quinto Consultore propositam.

Disceptatione peracta, Exc.mus Secretarius proponit ut § 1 ab Ill.mo quinto Consultore proposita uniatur cum canone relativo schematis procedurae administrativae ita ut sequens habeatur textus:

« § 1. Quoties lex iubeat decretum ferri vel ab eo cuius interest petitio vel recursus ad decretum obtainendum legitime proponatur, auctoritas competens intra tres menses a recepta petitione vel recursu provideat, nisi alias terminus lege praescribatur.

§ 2. Hoc termino transacto, si nondum decretum datum fuerit, responsum praesumitur negativum ad propositionem ulterioris recursus quod attinet.

§ 3. Responsum negativum praesumptum non eximit competentem auctoritatem ab obligatione decretum ferendi, immo et damnum forte illatum, ad normam can. 117, reparandi ».

Ad can. 54 bis quod attinet, Exc.mus Secretarius notat perdifficile esse illam normam admittere in iure canonico, quia licentiae quam maxime diversae sunt et auctoritas potest tribus in mensibus illas concedere vel saltem, cum responsione interlocutoria, terminos suspendere (primus Consultor). Insuper ei videtur norma canoni praecedenti contradicere in quo silentio praesumitur responsio negativa. Rev.mo tertio Consultori norma videtur periculosa et idem Rev.mus D.nus praeferret ut norma daretur ad urgendam Superioris obligationem, minime ad licentiam praesumendam.

Explicit Ill.mus quintus Consultor hic agi de actibus pro quibus Superior est competens sed necesse est ut aliqua habeatur inspectio etiam actus Superioris. Licentia de qua in textu agitur est licentia stricto sensu accepta, quae non mutat naturam competentiae. Etiam Ill.mus sextus Consultor tenet textum servari nequi, stante multiplicitate conceptus licentiae, quae de se limitem ponit competentiae Superioris et in eius erga inferiorem dominium. Idem Ill.mus Vir tenet normam non esse ponendam in canonibus de normis generalibus sed, si casus ferat, singulis in canonibus pro opportunitate. Sed cum terminologia non sit semper sibi constans — nam, dicitur de facultate, de licentia, de consensu, de iure, de approbatione —, omnes conveniunt ut melius sit canonis suppressio.

* * *

[Can. 101 § 3]

Alia quaestio quae resolvenda proponitur est de regula loquendi quoad locutiones « Episcopus dioecesanus » et « Ordinarius loci », ita ut univocae reddantur.

Per se idem significant, etsi in intentione erat ut distinctio haberetur. Sed videndum est utrum oporteat illam regulam adhibere. Quaestio quae iam in praecedenti Sessione delibata erat (cfr. Relationem originalem Illae Sessionis, pp. 16-17; cfr. *Communicationes* 23 [1991] 224-225), disceptatione peracta, solvitur per introductionem alicuius § 3 in can. 101 (CIC 198) sequenti textu, ab omnibus probato:

« Quae in canonibus Episcopo dioecesano in ambitu potestatis exsecutivae tribuuntur intelliguntur competere dumtaxat Episcopo dioecesano aliisque ipsi in can. 233 (*De Populo Dei*) aequiparatis, exclusis Vicario Generali et Episcopali nisi de speciali mandato ».

* * *

Ad systematicam quod attinet, prima quaestio examini subienda est utrum servanda sit inscriptio « Canones praeliminares » posita ante primos septem canones.

a) Rev.mus octavus Consultor tenet hic opportunum esse ut inscriptio servetur, quia canones sunt revera praeliminares totius Codicis. Ill.mus sextus Consultor tenet melius esse ut dicatur « canones generales », quia praeliminares sunt iam de facto, et totum Codicem respiciunt. Contradicit Rev.mus Secretarius Ad., cum canones indolem generalitatis non praeferant, minime applicantur ad universum Codicem, sed sunt praeliminares

ad Codicem eiusque ambitum definiunt. Rev.mus septimus Consultor tenet istos canones de vi Codicis agere, excepto can. 7, qui potius de legibus tractat ideoque ad illud caput est remittendus.

Exc.mus Secretarius quaerit insuper, praeterquam superius dicta, utrum isti canones ponendi sint ante inscriptionem Libri I vel post.

Rev.mus primus Consultor tenet ponendos esse ante inscriptionem Libri I et sub titulo « canones praeliminares ».

Rev.mus tertius Consultor praferret ut ponerentur sub inscriptione Lib. I et absque proprio titulo quia de normis generalibus praecise agitur.

Per suffragationem dirimitur quaestio: 8 suffragia favorabilia sunt ut tollatur titulus « canones praeliminares », 1 contrarium tenet (Secretarius); canones ponuntur sub inscriptione Libri I.

b) Can. 7 transfertur in canonibus de legibus ultimo loco, post can. 23.

c) Quaestio utrum servanda sit inscriptio Tituli I: « De fontibus iuris » et postea divisio eiusdem Tituli in Capita: « De legibus », « De consuetudine », etc. solvitur per suffragationem et 7 suffragia sunt favorabilia pro suppressione inscriptionis « De fontibus iuris » et Capita sequentia fiunt Tituli per se stantes. Haec inscriptio, enim, magis pertinet ad doctrinam quam ad ius et alii sunt fontes iuris obiectivi quam lex et consuetudo.

Rev.mus octavus Consultor, etiam propositionis cuiusdam Episcoporum Conferentiae causa, tenet titulum ponendum esse « de Normis iuridicis », quia capita quae sequi debent, « de legibus », nempe, « de consuetudine », « de normis executoriis » « de statutis et ordinibus », « de actibus administrativis singularibus », characterem habent normae. Sed contradicit Exc.mus Secretarius ex eo quod verbum « norma » iam habetur in ipso titulo « De normis generalibus » et sensum habet quam maxime generalem. Dare enim normam iuridicam est etiam proprium praecepti singularis etsi valet pro una persona tantum.

d) Ill.mus quintus Consultor proponit ut canones de exercitio potestatis regiminis necnon de officiis ad Lib. II transferantur dum in Lib. I ponendi essent canones generales de personis physicis et iuridicis.

Disceptatione peracta, ordo remanet uti est, translato tantum Titulo « De actibus iuridicis » ante illum « De potestatis regiminis exercitio ».

e) Ad canones « De praecedentia » quod attinet, consideratis quae iam in anteacta Sessione disceptata sunt (cfr. Relationem originalem Sessionis IVae, pp. 25-26; *Communicationes* 23 [1991] 271-272), omnes conveniunt ut, suppressa inscriptione Tituli, canones ponantur post can. 15

Lib. II, cum voto tamen quod per se melius est ut normae completiae in appendice inserantur Codicis, vel obiectum sint instructionis vel alicuius legis specialis.

f) Ad votum quod attinet Coetus « De Populo Dei », transferendi nempe ad Lib. I canones generales « De statu canonico personatum physicarum » (cann. 2-15 *De Populo Dei*) necnon « De personis iuridicis » (cann. 70-80), qui nunc inveniuntur in Lib. II, 5 Consultores suffragium dant affirmativum (in quorum enumeratione computatur etiam votum scriptum Rev.mi secundi Consultoris qui absens erat). Et convenient, si transferentur, ut canones supracitati ponantur ante Titulum « De actibus iuridicis ».

Rev.mus octavus Consultor praferret ut tantummodo transferantur cann. 2-14, qui de statu canonico personae physicae agunt; dum Rev.mus Secretarius Ad. mallet ut etiam canones de consociationibus transponerentur, etsi contrarium se dicit translationi huius materiae.

Exc.mus Secretarius animadvertisit Lib. II forsitan dividendum in duas partes esse; quarum prima erit « De Ecclesiae structura hierarchica » et altera « De iure associationis » et proponit ut supradicti canones ad hunc Librum transferantur. Ill.mo sexto Consultori videtur omnes canones personas respicientes ad Lib. « De Populo Dei » remittendos.

g) De loco ubi ponendus est Titulus « De officiis ecclesiasticis », sequentia notanda sunt:

Rev.mus septimus Consultor tenet melius esse hunc Titulum ad canones Lib. II transferre; ratio est: in Lib. I omnia inscribi [debent] quae, quamcumque ratione, ius producunt, dum Lib. II sunt propria ea quae potius ad structuram Ecclesiae pertinent.

Ill.mus quintus Consultor praefert ut Titulus « De officiis » hic remaneat, quia pertinet ad technicam organisationis Ecclesiae structurae et communis est omnibus Codicis materiis. Idem sentit Ill.mus sextus Consultor, etsi canones permulti sint et Titulus nimis longus evadit. Rev.mi octavus et primus Consultores malunt ut Titulus in Lib. II inseratur, ubi de structura Ecclesiae agitur cum officium ecclesiasticum primum locum habeat in illa materia (octavus Consultor), ubi etiam collocandus est Titulus « De personis physicis et iuridicis » (primus Consultor). Iuxta Rev.mi tertii Consultoris sententiam, Titulus de quo agitur melius est ut transferatur ad Lib. II, sed propter rationes practicas potest manere in Lib. I.

Suffragatione peracta, per 7 suffragia contra 2, placet ut Tit. « De officiis ecclesiasticis » remaneat in Lib. I, ubi, iuxta petita Rev.mi octavi Consultoris, remanet etiam Tit. « De potestatis regiminis exercitio ».

* * *

Aliquae demum considerantur quaestiones particulares:

1) Ut incorporetur in can. 72 praescriptum de prorogatione rescriptorum de qua in can. 232 § 3, n. 1 schematis *De Populo Dei*.

Proponente Ill.mo sexto Consultore, fit canon per se stans, qui erit can. 71 bis, et textus in schemate *De Populo Dei* propositus hoc modo simplificatur: « Rescripta ab Apostolica Sede concessa, quae expiraverint, ab Episcopo dioecesano iusta de causa semel prorogari valent, non tamen ultra tres menses ».

Proponente Rev.mo septimo Consultore, supprimitur obligatio recurrendi, quae hisce verbis exprimebatur: « facta tamen obligatione statim ad ipsam (Apostolicam Sedem) recurrendi ... ».

2) Votum Coetus « De Processibus », prius examini subiectum, ab omnibus accipitur, inserendi nempe praescriptum ut decretum semper feratur expressis, saltem summarie, motivis (quod provenit ex schemate *De procedura administrativa*), et ponatur uti can. 48 bis cum sequenti textu: « Decretum scripto feratur expressis saltem summarie motivis ».

Ill.mus quintus Consultor petierat ut totus can. 6 procedurae administrativae heic inseratur, tamen, proponente Rev.mo Secretario Ad., excluditur § 1 utpote superflua, quapropter textus remanet prout supra indicatus.

3) Can. 139 — « Romani Pontificis electio iure peculiari regitur » —, uti nunc formulatus est, consideratur et Ill.mus sextus Consultor proponit ut can. 140 uniatur vel supprimatur. Convenitur melius esse ut supprimatur, quia electio Papae non unice pertinet ad latinam Ecclesiam et de ea sermo fit in LEF (Secretarius); ceterum can. 139 nihil dicit amplius quam can. 140 (sextus Consultor). Non plene concordat Rev.mus octavus Consultor, quia semper agitur de electione Episcopi romani. Supprimitur etiam verbum « ceteris » in can. 140.

4) Can. 114. Ill.mus quartus Consultor denuo quaestionem proponit quae in anteactis Sessionibus iam fecit, scilicet quod hypothesis erroris qui incidat in conditionem sine qua non numquam verificatur. Nam absonum Ill.mo Viro videtur statuere errorem in obiecto conditionis, qui in sua entitate non est substantialis, substantiali tamen aequiparatur per appositionem verborum « sine qua non », quae appositio in conditionem eum mutat.

Rev.mus primus Consultor contrarium se dicit mutationi textus, iam multum disceptati suo tempore.

Exc.mus Secretarius duas solutiones proponit, quarum prima est ut textus relinquatur uti est (quae propositio, suffragatione peracta, tria retulit vota); altera ut dicatur « circa substantiam », aut « circa conditionem *sine qua non* ». Hoc modo subiective fieret substantialis (quae propositio habuit 4 vota). Sed cum agatur de re quae non paucas poterit gignere difficultates, melius est ut textus servetur prout iacet. De cetero difficultates iam clarificationem quandam in iurisprudentia receperunt.

5) Can. 132. Postquam in Sessione praecedenti suppressa fuerat pars consanguineos vel affines resignantis officii respiciens (cfr. Relationem originalem IVae, p. 10; *Communicationes* 23 [1991] 253), instante Ill.mo sexto Consultore, totus canon supprimitur (5 vota contra 4).

6) Can. 87, § 2: loco « concedit » dicatur « concedi solet ».

7) In can. 94, § 1 supprimatur referentia ad cann. 39 - 69 *De Populo Dei*.

8) Ad can. 19, Ill.mus quartus Consultor quaestionem movet quae iam agitata fuit (cfr. Relationem originalem Sessionis IIae, pp. 21-22; *Communicationes* 23 [1991] 157-158) de interpretatione legis poenalis, sed textus probatur uti iacet.

9) Ad can. 113, Rev.mo Secretario Ad. videbatur aliqua contrapositio inter §§ 1 et 2 in quibus pro eadem re diversa datur norma, quod non videt Exc.mus Secretarius.

Ad § 2: Rev.mus octavus Consultor proposuerat sequentem emendationem « Actus positus alia ex vi, iniuste incussa et metum gravem secumfrente, aut ex dolo ... ».

Suffragatione peracta, 5 Consultores malunt ut textus — qui est textus Codicis — remaneat uti est.

10) Ill.mus quartus Consultor, ad systematicam quod attinet, petit ut privilegia accommodentur actibus administrativis. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. de se privilegia pertinere ad Titt. sive « De legibus », sive « De consuetudine » sive « De praescriptione » cum corrigi possint per legem, consuetudinem et praescriptionem.

Ill.mus quintus Consultor petit ut Capp. « De privilegiis » et « De dispensationibus » ita sub eodem Tit. inscribantur ut qualificatio actus administrativi omnino vitetur. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod si cum

Titulo per se stante illa Capita inscribuntur iam videretur quaestio solvi excludendo quod sint actus administrativi.

Exc.mus Secretarius notat ad privilegii concessionem requiri potestatem sive legislativam sive exsecutivam et privilegium connotari potius per can. 76 quam per eiusdem collocationem.

Peracta suffragatione (5 vota contra 2: quartus et quintus Consultores), textus remanet ubi est.

* * *

Hoc modo solvit labor qui tributus fuerat huic Coetui. Em.mus Cardinalis Praeses omnibus gratias ex corde quam maximas dicit et salutat atque, precibus de more fusis, finis Sessioni imponitur.

Romae, die 7 maii 1980.

M. DE NICOLÒ

Adiutor a studiis

CANONES APPROBATI IN IV^a ET V^a SESSIONE

[*Can. 48 bis*

Decretum scripto feratur expressis saltem summarie motivis.

Can. 54 (novus)

§ 1. Quoties lex iubeat decretum ferri vel ab eo cuius interest petitio vel recursus ad decretum obtainendum legitime proponatur, auctoritas competens intra tres menses a recepta petitione vel recursu provideat, nisi aliis terminus lege praescribatur.

§ 2. Hoc termino transacto, si nondum decretum datum fuerit, responsum praesumitur negativum ad propositionem ulterioris recursus quod attinet.

§ 3. Responsum negativum praesumptum non eximit competentem auctoritatem ab obligatione decretum ferendi, immo et damnum forte illatum, ad normam can. 117, reparandi.

Can. 71 bis

Rescripta ab Apostolica Sede concessa, quae exspiraverint, ab Episcopo dioecesano iusta de causa semel prorogari valent, non tamen ultra tres menses.

Can. 101 § 3

§ 3. Quae in canonibus Episcopo diocesano in ambitu potestatis exse- cutiae tribuuntur intelliguntur competere dumtaxat Episcopo dioecesano aliisque ipsi in can. 233 (*De Populo Dei*) aequiparatis, exclusis Vicario Generali et Episcopali nisi de speciali mandato].

TITULUS VI
DE ACTIBUS IURIDICIS¹

Can. 112 (novus)

§ 1. Actus iuridicus ut valeat, requiritur a persona habili et competenti positus, atque in eodem adsint quae actum ipsum essentialiter consti- tuunt, necnon sollemnia et requisita iure ad validitatem actus imposita.

¹ Re, cann. 112-115 approbati sunt in Sessione IIIa.

§ 2. Actus iuridicus quoad sua elementa externa rite positus prae-sumitur validus.

Can. 113 (CIC 103)

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequa-quam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex metu gravi, iniuste incusso, aut ex dolo, valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

Can. 114 (CIC 104)

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versetur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidit in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni resscissoriae ad normam iuris.

Can. 115 (novus): Cadit.

Can. 116 (CIC 105)

§ 1. Cum iure statuatur ad actus ponendos Superiorum indigere con-sensu aut consilio alicuius collegii vel personarum coetus, convocari debet collegium vel coetus ad normam can. 163, atque ut actus valeat requiritur ut obtineatur consensus aut exquiratur consilium partis absolute maioris eorum qui sunt praesentes.

§ 2. Cum iure statuatur ad actus ponendos Superiorum indigere con-sensu aut consilio aliquarum personarum, ut singularum:

1) si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris consensum earum personarum non exquiritur aut contra eorum vel alicuius votum agentis;

2) si consilium exigatur, invalidus est actus Superioris easdem per-sonas non audientis; Superior, licet nulla obligatione teneatur ad earundem votum, etsi censors, accedendi, tamen sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim concorde, ne discedat.

§ 3. Omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas id postulat, secretum sedulo servandi, quae quidem obligatio a Superiori urgeri potest.

Can. 117 (novus)

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu dolo vel culpa posito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

TITULUS VII
DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Can. 118 (CIC 145; cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20).

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum in finem spiritualem exercendum.

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium constituitur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

Can. 119 (CIC 1415): Cadit.

Caput I
DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Can. 120 (CIC 147)

Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

Can. 121 (CIC 148)

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate ecclesiastica competenti, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

Can. 122

Auctoritati, cuius est officia erigere, innovare et supprimere, eorundem provisio quoque competit, nisi aliud iure statuatur.

Can. 123 (CIC 149 et 153)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse in Ecclesiae communione necnon idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universalis vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universalis vel particularis aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; secus valida est, sed rescindi potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam tribunalis administrativi.

§ 3. Provisio officii simoniace facta ipso iure irrita est.

Can. 124 (CIC 154)

Officium secumferens plenam animarum curam, ad quam adimplendum ordinis sacerdotalis exercitium requiritur, ei qui sacerdotio nondum auctus est valide conferri nequit.

Can. 125 (CIC 155)

Provisio officii animarum curam secumferentis sine gravi causa ne differatur.

Can. 126 (CIC 156)

Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt.

Can. 127 (CIC 150)

§ 1. Provisio officii de iure non vacantis est ipso facto irrita, nec subsequentे vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio nonnisi intra sex menses ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet a die officii vacationis.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

Can. 128 (CIC 151)

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

Can. 129 (CIC 158)

Qui vicem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in personam cui collatum est, sed huius condicio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

Can. 130 (CIC 159)

Cuiuslibet officii provisio scripto consignetur.

Art. 1 - De libera collatione

Can. 131 (CIC 152)

Nisi aliud explicite iure statuatur, Episcopi dioecesani est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in propria Ecclesia particulari.

Can. 132 (CIC 157): Cadit.

Art. 2 - De praesentatione

Can. 133 (novus)

§ 1. Praesentatio ad officium ecclesiasticum ab eo cui ius praesentandi competit fieri debet auctoritati cuius est ad officium de quo agitur institutionem dare, et quidem, nisi aliud legitime cautum sit, intra tres menses ab habita vacationis officii notitia.

§ 2. Si ius praesentationis cuidam collegio aut coetui personarum competit, praesentandus designetur servatis canonum 142-157 praescriptis.

Can. 134 (novus)

Nemo invitus praesentetur; quare qui praesentandus proponitur, de mente sua rogatus, nisi intra octiduum utile recuset, praesentari potest.

Can. 135 (novus; cfr. CIC, 1460, § 4 et 1461)

§ 1. Qui iure praesentationis gaudet, unum aut etiam plures et quidem tum una simul tum successive praesentare;

§ 2. Nemo potest seipsum praesentare; potest autem collegium aut coetus personarum aliquem sui sodalem praesentare.

Can. 136 (novus; cfr. CIC, 1465, § 1 et 1468)

§ 1. Nisi aliud iure statuatur, potest qui aliquem praesentaverit non idoneum repertum, altera tantum vice, intra mensem, quendam praesentare.

§ 2. Si praesentatus ante institutionem factam renuntiaverit aut de vita decesserit, potest qui iure praesentandi pollet, intra mensem ab habita renuntiationis aut mortis notitia, ius suum rursus exercere.

Can. 137 (novus; cfr. CIC 1465)

Qui intra tempus utile, ad normam can. 155, 1 et can. 158 praesentationem non fecerit, itemque qui bis praesentaverit non idoneum repertum, pro eo casu ius praesentationis amittit, atque auctoritati cuius est institutionem dare competit officio vacanti libere providere, assentiente tamen proprio provisi Ordinario.

Can. 138 (novus; cfr. CIC 1466)

Auctoritas, cui ad normam iuris competit praesentatum instituere, instituat legitime praesentatum quem idoneum repererit et qui acceptaverit; quod si plures legitime praesentati fuerint qui idonei reperti sint, eorundem unum instituere debet.

Art. 3 - *De electione*

Can. 139 (CIC 160): Cadit.

Can. 140 (CIC 160)

Nisi aliud iure provisum fuerit, in electionibus canonici serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Can. 141 (CIC 161)

Salvis legitimis collegii aut coetus statutis, si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electio non differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapsi, auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive comperit, officio vacanti libere provideat.

Can. 142 (CIC 162)

§ 1. Collegii aut coetus praeses convocet omnes ad collegium aut coetum pertinentes; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat aut in loco domicilii vel quasi-domicilii aut in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet; attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti auctoritate rescindi debet, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

Can. 143 (CIC 163)

§ 1. Convocatione legitime facta, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione determinatis, exclusa, nisi aliud statutis legitime caveatur, facultate ferendi suffragia sive per epistolam, sive per procuratorem.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

Can. 144 (CIC 164)

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

Can. 145 (CIC 165)

Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet.

Can. 146 (CIC 166)

Electio, cuius libertas quoquo modo reapse impedita fuerit, ipso iure invalida est.

Can. 147 (CIC 167)

§ 1. Inhabiles sunt suffragium ferendi:

- 1) incapax actus humani;
- 2) aetate minor;
- 3) carens voce activa;
- 4) poena excommunicationis innodatus sive per sententiam iudicialem sive per decretum quo poena irrogatur vel declaratur;
- 5) qui Ecclesiae aut communitati ecclesiali ab Ecclesia catholica seiunctae adscriptus est, aut ab eiusdem communione formaliter defecit.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum.

Can. 148 (CIC 169)

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

- 1) liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut diversas personas disiunctive;
- 2) secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae habentur.

Can. 149 (CIC 171)

§ 1. Antequam incipiat electio, deputentur e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores suffragia colligant et coram praeside electionis inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Omnia electionis acta ab eo qui actuarii munere fungitur accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

Can. 150 (CIC 172)

§ 1. Electio, nisi aliud iure aut statutis caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo nempe electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos unum vel plures sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant qui nomine omnium ex recepta facultate elegant.

§ 2. Si agatur de collegio aut coetu ex solis clericis constante, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, conditiones compromisso appositas, iuri non contrarias, observare; conditiones autem iuri contrariae pro non appositae habeantur.

Can. 151 (CIC 173)

Cessat compromissum et ius suffragium ferendi redit ad compromittentes:

- 1) revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;
- 2) non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
- 3) electione absoluta, si fuerit nulla.

Can. 152 (CIC 174)

Nisi aliud iure aut statutis caveatur, is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. (*De Populo Dei*, can. 76, n. 1º).

Can. 153 (CIC 175)

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus autem eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

Can. 154 (CIC 176)

Electus, acceptata electione, quae confirmatione non egeat, officium pleno iure statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

Can. 155 (CIC 177)

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, intra octiduum utile a die acceptatae electionis confirmationem ab auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens auctoritas, si electum repererit idoneum ad normam can. 146, § 1, et electio ad normam iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere in administratione officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

§ 5. Intimata confirmatione, electus pleno iure officium obtinet, nisi aliud iure caveatur.

Can. 156 (CIC 178): Cedit.

Art. 4 - De postulatione

Can. 157 (CIC 179)

§ 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praferant, impedimentum canonicum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

Can. 158 (CIC 180)

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non exsistat, secus pro postulatione.

Can. 159 (CIC 181)

§ 1. Postulatio a praeside intra octiduum utile mitti debet ad auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla est, et collegium vel coetus pro ea vice privatur iure eligendi aut postulandi, nisi probetur praesidem amittenda postulatione iusto fuisse detentum impedimento aut dolo vel neglegentia ab eadem tempore opportunomittenda abstinuisse.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione; eam admittendi auctoritas competens obligatione non tenetur.

§ 4. Factam auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi auctoritate consentiente.

Can. 160 (CIC 182 et 175)

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum reddit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 153 § 1.

§ 3. Qui admissam postulationem acceptet, pleno iure statim officium obtinet.

Caput II

DE AMMISSIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Can. 161 (CIC 183)

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, explatione aetatis iure definitae, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure auctoritatis a qua fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisionem competit.

Can. 161 bis (novus)

Ei qui ob impletam aetatem aut renuntiationem acceptatam officium amittit, titulus emeriti conferri potest.

Can. 162 (novus)

Lapsu temporis praefiniti vel adimpta aetate amissio officii effectum habet tantum a momento quo a competenti auctoritate scripto intimetur.

Art. 1 - *De renuntiatione*

Can. 163 (CIC 184)

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare.

Can. 164 (CIC 185)

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo vel errore substantiali aut simoniace facta, ipso iure irrita est.

Can. 165 (CIC 186-187-189-191)

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, auctoritati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet, et quidem sive scripto sive ore tenus coram duobus testibus.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, nisi intra tres menses acceptetur, omni vi caret; quae acceptatione non indiget effectum sortitur intimatione renuntiantis ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest.

*Art. 2 - De translatione**Can. 166 (CIC 193)*

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Si translatio fiat invito officii titulari gravis requiritur causa et, firmo semper iure rationes contrarias exponendi, servetur modus procedendi iure praescriptus.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

Can. 167 (CIC 194)

§ 1. Translationis ratione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice habitam, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Remunerationem cum priore officio conexam translatus percipit, donec alterius possessionem canonice obtinuerit.

*Art. 3 - De amotione**Can. 168 (novus)*

Ab officio quis amovetur sive decreto ab auctoritate competenti legitime edito, servatis quidem iuribus forte ex contractu quaesitis, sive ipso iure ad normam can. 170.

Can. 169 (novus)

§ 1. Ab officio quod alicui confertur ad tempus indefinitum, non potest quis amoveri nisi ob graves causas atque servato procedendi modo iure definito.

§ 2. Idem valet ut ab officio quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis ante hoc tempus elapsum amoveri possit.

§ 3. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad prudentem discretionem auctoritatis competentis, potest quis iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est.

Can. 170 (novus)

§ 1. Ipso iure ab officio ecclesiastico amovetur:

- 1) qui statum clericalem amiserit;
- 2) qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecserit;
- 3) clericus qui matrimonium etiam civile tantum attentaverit.

§ 2. Amotio de qua in § 1 , nn. 2 et 3, urgeri tantum valet si de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

Can. 171 (novus)

Si quis, non quidem ipso iure, sed per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas curet ut ipsius subsistentiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

*Art. 4 - De privatione**Can. 172 (novus)*

§ 1. Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.

§ 2. Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.

TITULUS VIII
DE PRAESCRIPTIONE

Can. 173 (CIC 1508)

Praescriptionem, tanquam iuris subiectivi acquirendi vel amittendi nec non ab obligationibus sese liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia recipit, salvis exceptionibus quae in canonibus huius Codicis statuuntur.

Can. 174 (CIC 1512)

Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio, sed toto decursu temporis ad praescriptionem requisiti.

Can. 175 (CIC 1509)

Praescriptioni obnoxia non sunt:

- 1º iura et obligationes quae sunt legis divinae naturalis aut positivae;
- 2º iura quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico;
- 3º iura et obligationes quae spiritualem christifidelium vitam directe respiciunt;
- 4º fines certi et indubii circumscriptionum ecclesiasticarum;
- 5º stipes et onera Missarum;
- 6º provisio officii ecclesiastici quod ad normam iuris exercitium ordinis sacri requirit;
- 7º ius visitationis et obligatio oboedientiae, ita ut christifideles a nulla auctoritate ecclesiastica visitari possint et nulli auctoritati iam subsint.

TITULUS IX
DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Can. 176 (CIC 31)

Nisi aliud expresse in iure caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

Can. 177 (CIC 35)

§ 1. Tempus continuum intelligitur quod nullam patitur interruptionem.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut persequenti competit ut ignorantia aut agere non valenti non currat.

Can. 178 (CIC 32)

§ 1. In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdomada

spatium 7 dierum; mensis spatium 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus, si tempus est continuum.

Can. 179 (CIC 34)

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut aliud expresse in iure caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si terminus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut, si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

* * *

De Praecedentia

Can. 180

Circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu iuridicas, serventur normae quae sequuntur, salvis normis specialibus:

1) cui est auctoritas in personas sive physicas sive iuridicas, eidem ius est praecedentiae supra illas;

2) inter diversos clericos quorum nullus habeat in alios auctoritatem: qui ad gradum potiorem pertinent, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus; inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altior rem ordinem tenet, praecedit iis qui in inferiore sunt positi; si denique ad eundem gradum pertineant eundemque ordinem habeant, praecedit qui prius est promotus ad gradum; si eodem tempore promoti sunt, senior ordinatione; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate;

3) in praecedentia diversitas ritus non attenditur;

4) qui alias personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam; sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt nomine proprio;

5) inter varias personas iuridicas eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est; inter soda-

les vero alicuius collegii, ius praecedentiae determinetur ex propriis legitimis statutis; secus ex legitima consuetudine, qua deficiente, ex praescripto iuris universalis;

6) loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum ipsis commissorum, et omnes de praecedentia controversias, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque;

7) circa personas quae ad Domum pontificalem pertinent, praecedentia moderanda est secundum regulas et traditiones eiusdem pontificiae Domus.

** Quoad immutationes in aliis canonibus inductas, cfr. supra, pp. 280-282.

NOTA

DE ITINERE LABORIS COETUS STUDII « DE NORMIS GENERALIBUS » (Liber I CIC)

Hac Sessione V Seriei Alterius publici iuris facta, concluditur publicatio Relationum laborum Coetuum studiorum « De Normis Generalibus » et « De Quaestionibus Specialibus Libri II » (qui alter successive appellatus est « De Personis Physicis et Moralibus » [cfr. Sessiones III-VII], deinde « De Personis Physicis et Iuridicis » [cfr. Sessiones VIII-XII]). Duo Coetus demum in unum confluerunt sub nomine « De Normis Generalibus deque Personis Physicis et Iuridicis » [cfr. Sessiones XIII-XIV]). In recognoscendo Schemate (1977) Coetus studii denuo appellatus est « De Normis Generalibus ».

Omnia quae respiciunt *directe* horum Coetuum compositionem et labores laboresque Pontificiae Commissionis C.I.C. recognoscendo quoad hanc materiam inveniuntur in nostra Ephemeride *Communicationes*, ut infra:

— Principia I, II, IV, V, VI et X ex *Principiis, quae C.I.C. recognitionem dirigant*, 1 (1969) 78-83, 85, 88-89, 99-100.

— Coetuum *Membra*: 1 (1969) 30 [III], 32 [VII]; 5 (1973) 190 [III].

— Coetuum *adunationes*: 1 (1969) 47, 49 (cfr. et 121-122); 6 (1974) 201-204; 8 (1975).

— Coetuum *labores*:

A) « De Normis Generalibus »:

Sessio I (24-27 maii 1966) : 16 (1984) 143-157;

Sessio II (13-17 nov. 1967) : 17 (1985) 29-73;

Sessio III (19-23 feb. 1968) : 19 (1987) 19-67;

Sessio IV (28-31 ian. 1969) : 19 (1987) 68-105;

Sessio V (29 sep.-4 oct. 1969) : 19 (1987) 182-220;

Sessio VI (25-30 ian. 1971) : 20 (1988) 95-121;

* Synthesis laboris : 3 (1971) 81-94;
: 6 (1974) 52-54;

B) « De Quaestionibus Specialibus (Libri II) »:

Sessio I (5-6 maii 1967) : 21 (1989) 35-55;

Sessio II (9-12 dec. 1967) : 21 (1989) 119-136;

« De Personis Physicis et Moralibus »

Sessio III (5-9 nov. 1968) : 21 (1989) 137-164;

Sessio IV (25-28 maii 1969) : 21 (1989) 165-204;

Sessio V (24-28 nov. 1969) : 21 (1989) 205-245;

Sessio VI (9-13 nov. 1970) : 21 (1989) 246-273

Sessio VII (26-30 apr. 1971) : 22 (1990) 12-35;

« De Personis Physicis et Iuridicis »

- Sessio VIII (4-8 oct. 1971) : 22 (1990) 36-73;
Sessio IX (14-18 feb. 1972) : 22 (1990) 74-117;
Sessio X (13-17 nov. 1972) : 22 (1980) 118-165;
Sessio XI (12-16 mar. 1973) : 22 (1990) 234-258;

* Appendix: Canones approbati a Coetu « de Normis Generalibus »

- (Apr. 1973) : 22 (1990) 259-275;
Sessio XII (22-26 oct. 1973) : 22 (1990) 276-315;
* Synthesis laboris : 6 (1974) 56-59; 93-103;

« De Normis Generalibus deque Personis Physicis et Iuridicis »

- Sessio XIII (13-17 maii 1974) : 23 (1991) 22-71;

Schema canonum Libri I: Normae Generales: 23 (1991) 72-107;

- Sessio XIV (12-16 ian. 1976) : 23 (1991) 108-127;

— *Transmissionis litterae*, quibus inter alia, die 15 nov. 1977, Organis consultationis missum est *Schema canonum Libri I De Normis Generalibus* (reservatum), 1977: 9 (1977) 227-228.

— *Praenotanda* eidem Schemati praemissa: 9 (1977) 231-237.

— Labor recognitionis *Schematis canonum Libri I De Normis Generalibus* (reservati), 1977, iuxta exhibitas ab organis consultationis animadversiones (Series Altera):

- Sessio I (7-11 maii 1979) : 23 (1991) 141-165;
Sessio II (23-27 oct. 1979) : 23 (1991) 166-210;
Sessio III (26 nov.-1 dec. 1979): 23 (1991) 211-243;
Sessio IV (18-23 feb. 1980) : 23 (1991) 244-272;
Sessio V (5-7 maii 1980) : 23 (1991) 273-299.

— Labor recognitionis *Schematis Codicis Iuris Canonici iuxta animadversiones S.R.E. Cardinalium, Episcoporum Conferentiarum, Dicasteriorum Curiae Romanae, Universitatum Facultatumque ecclesiasticarum necnon Superiorum Institutorum vitae consecratae recogniti* (Patribus Commissionis reservati), 1980, (cann. 1-200), post Commissionis Patrum animadversiones: 14 (1982) 116-127.

** Aliae notitiae inveniri possunt in: 19 (1987) 262-270.

